

uxore Adam, tentatur ab uxore et Job: *Benedic Deo et morere*. Verum Adam succumbit et vincitur: Job vincit et triumphat: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Quæ causa discriminis?* Nimirum quia Adam in paradiso deliciarum, Job in sterquilinio calamitatum sedit. Unde S. Aug. in Ps. XCXIII. ait: *Job melior fuit in stercore victor, quam Adam victus in paradiso.*

V. Ut digni fiant cœlesti gloria. Tam ardua est majestas, tam pura atque honesta suavitas, tam secunda atque invariata æternitas gloriæ illius, ut non per delicias, sed per labores et liberrimam agendi patiendique voluntatem eo tendere oporteat. Viles reputantur merces, quæ magni non emuntur. Gemmæ et aurum parum valent, si passim sine multo labore reperirentur. Hinc dicitur: *Difficilia, quæ pulchra*. Terra promissionis, lacte et melle manans, adiri non debebat, nisi per mare rubrum, per multas asperrimarum viarum ambages et varia prælia. Unde Origenes, homil. XXXVII. in Num. ait: *Non est possibile venire ad terram promissionis, nisi per amaritudines transeamus*. Ad Persarum regem nemini accessus patebat, nisi prius oscularetur virgam ejus, Esther V. Cassianus, libro IV. de institutis renuntiant. cap. III. scribit eos, qui olim ad cœnobii disciplinam recipi cupiebant, non prius admissos fuisse, quam decem aut pluribus diebus ad fores monasterii excubantes, patientiæ, humilitatis et perseverantiæ specimen dedissent; ubi ad omnium genua se provolverent, probris et injuriis onerarentur. Qui hæc non tolerabat, audiebat: *Abi unde venisti*. Quæ comparatio vitæ cœnobiticæ cum vitâ beatificâ? Quid mirum ergo, si qui ad hanc aspirant, prius varie probari, vexari et tribulari debeant, ut cœlo digni fiant? Quin etiam ad hujus sæculi honores non patebat aditus candidatis, nisi prius diu multumque purpuratorum prehensarent togas, oscularentur eorum manus, stiparent latera, sequerentur vestigia, etc. Strenuus miles pro gratia et honore interpretatur, cum a duce sup. mittitur ad periculosam expeditionem, v. g. ut hostem primus aggrediatur, primam in urbem irruptionem faciat. Quia videt se ad gloriam et spem optimæ prædæ vocari (uti etiam ostendit Seneca, de provid. citatus); ita pariter: *Omne gaudium existimate, fratres*, inquit S. Jacobus, cap. I. *cum in varias tentationes incideritis*. Parum fuit Davidi et ludus parvulorum tantum, quod ab eo peteret Saul centum præputia Philistinorum pro filia sua Michol; abiit enim et percussit non centum, sed ducentos Philisthæos, eorumque præputia annumeravit regi, I. Reg. XVIII. Nec dubium videtur quin et ipse in pugna plagas aliquas acceperit; eas tamen non

curabat. Dicebat enim: *Num parum vobis videtur generum me esse regis? At quid filia regis respectu gloriæ cœlestis? Annon cum Davide cuicumque mortis et pœnarum discrimini exponere nos debemus, ut regni non terrestris sed cœlestis hæredes esse possimus?*

VI. Denique: *Ut etiam alios pati doceant, nati sunt in exemplar*, inquit in simili Seneca, lib. de providentia, cap. IX. Hac de causa afflicti sunt cœcitate Tobias: *Ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et S. Job*, ut dicitur Tob. II. Præclarissimum vero exemplum sunt hi Innocentes, qui nec potuerunt quidem delinquere, ideoque ad hoc solum videntur ad macellum dati, ut alios pati doceant. Imprimis vero ipse Christus Dominus, qui in sua infantia jam sentit persecutorem, et fugere in Ægyptum, via tam longa et aspera, compellitur. Bene ergo potuit dicere per Isaiam, cap. VIII. de se et de Innocentibus: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel*; in exemplum videlicet et spectaculum, ut ab Innocentibus discant pati non modo nocentes sed etiam innocentes. Quis enim jam conqueri audeat se indigna aut intoleranda pati, cum cernit ducem suum unicum ephelis ejus præcedere et ferre cruces suas tam graves et ponderosas? Illum quidem post dirissima supplicia in crucem agi, hos vero a tyranni militibus raptari, medios secari, ad terram et parietes allidi, pedibus conculcari? S. Petrus, e Dominicana familia martyr, cum aliquando ex falsa suspitione accusatus, pœnas superioribus quasi reus dare cogebatur, ad Christi crucifixi effigiem cœpit amice, quasi filius coram patre, conqueri ac dicere: *Ecce, Domine, quid feci? An nescis me innocentem, et cur tamdiu hac infamia notor?* Cui Dominus: *Et ego, Petre, quid feci, ut in hanc crucem agerer? Ergo vel exemplo meo tuas ærumnas pati discas*. Ad hæc vir sanctus partim solatio, partim rubore suffusus, hanc ærumnam suam cœlestem credidit esse favorem, adeoque pluribus et majoribus onerari flagitavit, quo Christo crucifixo, omnis innocentia speculo, similior evaderet, Ribadeneira, in vita ejus 29. april. Ergo et vos, auditores, discite ex hoc speculo etiam innocenter pati, et hoc ipso magis gaudere, quod hac ratione non latronibus cum Christo crucifixus et scelerum pœnas dantibus, sed ipsi Christo innocentissimo similiores sitis.

## CONCIO II.

CUR ETIAM MALI TRIBULENTUR SÆPE IN HOC SÆCULO. Etiam reprobi hic sæpe flagellantur. — I. Ut e somno peccatorum evigilent. — II. Ut liberentur a pœnis, peccatis suis debitibus. — III. Ut humilientur et compescantur. — IV. Ut per eorum flagella alii emendantur. — V. Ut subinde puniantur etiam in hoc sæculo.

## THEMA.

*Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.* Matth. II.

Mirum, auditores, quod gladius Herodis non tantum devoravit filios alienos, quos stulte metuebat insidiatores regni, sed etiam proprium filium, Antipatrum videlicet, quod ipse revera ejus regno fuerit insidiatus; quem proinde quinto ante mortem suam die jussit interfici, auctore Josepho, lib. XVII. antiq. cap. XX. et XXI. Quod sane miratum Augustum imper. scribit Macrobius, lib. II. Saturn. cap. X. dixisseque: *Malle se Herodis porcum esse quam filium*, siquidem Judæi porcos non mactant. Mirari etiam nos possumus, quare Deus in hoc sæculo puniat sæpe numero non modo pios et bonos, verum etiam impios; non solum innocentes filios, sed nocentem etiam Antipatrum. Quod enim boni hic patiantur, quid mirum? De mundo hoc non sunt, et cœlum laboribus emere debent. At quod etiam reprobos sæpe cernimus affligi variis adversitatibus, id videtur mirum. Sunt enim cives mundi hujus, et cum in cœlo nihil quaerant, saltem hic videntur non solum a flagellis eximendi, sed præterea etiam hujus vitæ bonis omnibus cumulandi. Ad quid igitur eis flagra? Audiamus.

I. Ut e somno peccatorum evigilent, et aperiant oculos. Culpa mentis oculos excecavit, teste Sapiente, Sap. II. *Excecavit eos malitia eorum*. Impiorum oculos culpa claudit, sed ad extremum pœna aperit. Nescit enim impius mala quæ fecerit, nisi cum pro eisdem malis cœpit puniri; unde etiam per prophetam Isaiam, cap. XXVIII. dicitur: *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit*. De Constantio Palæologo II. imperat. Constantino-politano refert Egnatius in ejus vita, quod cum ægrotus nullis medicorum auxiliis convalescere posset, et integrum ferme annum in lecto decumberet, magno reipublicæ incommodo, a persona quapiam prudente ac perita didicerit imperatrix uxor ejus non posse convalescere virum, nisi acerbis et importunis molestiis continuo imperator vexaretur: eo vero modo dilapsuros humeros, unde manabat ægritudo; nam secundum artem medicinæ, divexationibus nonnulli humores

noxii consumuntur. Admisso igitur consilio, imperatrix cœpit Palæologum virum nimis divexare, vix ulla re obsequens illi, sed molestia sæpe illum afficiens; qua ille affectus vehementer, ita humores pravos consumpsit et expulit, calore naturali inde aucto, ut ita convaluerit imperator, et viginti, quibus postea vixit, annis incolumis existerit semper. Mirum sane hoc curationis genus! Quod certe aliud non est in ægritudine animi, quam vexatio; quæ aperuit oculos etiam Arcadie imper. conjugis et malevolorum fraude cæcatis; adeo, ut Sanctum Chrysostomum relegarit in exilium. Eo namque ejecto, horribili terræ motu civitas Constantinopolis concussa, imperatoris ipsius ædibus subversionem minari videbatur. Inde commotus imperator, et ob facinus imprudenter admissum ingemiscens, seque ac suos summæ injustitiæ condemnans, misso confestim Brisone, Eudoxiæ ministro, Joannem revocavit, et amplificatis honoribus invitum in sedem restituit, ut in ejus vita, Lipel. 14. septemb. Hoc igitur est, quod ait Isaias de infirmitate animæ, quæ non nisi vexatione in impiis sanatur, uti patet in filio prodigo, et in rege Manasse, qui ad summam perversitatem prolapsus non nisi captivitate et ponderosis vinculis tandem curatus est, II. Paral. LXXXV. Victoribus in quadrigarum certamine olim dabatur absinthium, *velut sanitas præmio*, ut ait Plinius, lib. XXVII. cap. VII. Sed quæ sanitas ab absinthio? Aretas, in cap. VIII. Apocal. ait absinthio illuminari oculos et visum acui. Amara est tribulatio, fateor, absinthium est; sed tamen illuminat oculos peccato cæcatis. Præmium igitur reputent impii se accepisse, licet immeritos, cum tribulationem accipiunt, quia absinthium est salutariferum; quale etiam acceperunt Judæi pervicaces, abducti in captivitatem, qui Thren. III. dicunt: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio*. Quando quis lethargo decumbit, mandat medicus ministris, ut infirmum excitent subinde, cum altum indormire pergat; ne profundo somno obrutus, prorsus intereat. Videt Deus peccatores profundo vitiorum somno plane demersos, nec facile evigilatos, nisi concutiantur et tundantur. Itaque immittit eis tribulationes, quibus vexentur, ut vel sic evigilent. Durum est hoc ipsis, quemadmodum et lethargicis, si a somno excitentur: saluberrimum tamen ac plane necessarium, cum vix aliter sanentur. Ciceronem a sicariis quæsitum ad necem, dum in villa Cajetana dormiret, excitavit corvi, stragulum a capite abstrahendo, ac laciniam togæ eosque morsu tenendo, donec servus id observans, milites ad occidendum eum venire nuntiaret, sicque ipse sibi fuga consuleret, Val. Max.

ibr. I. cap. IV. Plut. et Appian. apud Aldrov. lib. XII. ornithol. Dormit peccator, dum in voluptatibus suis periculose conquiescit: a tergo sunt sicarii demones, qui animam ejus querunt. Quid igitur Deus? Immittit ei corvos variarum adversitatum, qui morsibus eum impetant, paupertatem, morbum, adversarium, qui bonis eum spoliat; ut vel sic a somno excitet, et fugere compellat, vitamque ei servet. Quis non aget gratias his corvis? Imo Deo qui eos misit?

II. Ut liberentur etiam a pœnis, peccatis suis debitis, quas exsolvant in hac vita, ne cogantur solvere in altera. Cum quis humoribus malis et distillatione capitis abundat, solet medicus in brachio ejus facere cauterium: quod quidem vulnus quoddam est, et parit, non solum cum aperitur, sed etiam reliquo tempore, dolorem simul et fastidium; interim tamen evacuat noxios humores et conservat vitam, adeoque minore damno majus avertit. Hujusmodi est tribulatio, quæ vulnus quoddam temporale infligit, ut exhauriat pœnas peccatis debitas et quidem gravissimas, seu inferni seu purgatorii: saluberrimum proinde cauterium, factum peccatoribus a pientissimo medico, summa gratitudine ab ejus manu acceptandum. Audiamus Augustinum in Ps. LXIII. « Sine curari, (inquit) novit Deus quid agat, qui vulnus novit. Non secatur alius, quid si desperatur? Quid si propterea tu secaris, quia non desperaris? Patere ergo quod pateris, recto corde: novit Deus quid tibi donet, quid tibi subtrahat. » In mediis æstatis caloribus solet findi terra, et quasi vulnerari: at si rorida nubes pluviam ei refundat, mox consolidatur, ut ne cicatrices quidem vulnorum seu rimarum appareant. Pari modo vulnera, quæ infliguntur animæ a peccatis, et hiabant in æstu concupiscentiæ, sanantur imbre tribulationis et consolidantur, quasi non fuissent. Quare in tali casu tribulatio pro magna Dei misericordia acceptari debet, quæ propterea ab Ecclesiastico, cap. XXXV. appellatur *speciosa*; quia curat et obducit cicatrices vulnorum: *Speciosa misericordia Dei*, inquit, *in tempore tribulationis, quasi nubes pluviam in tempore siccitatis*. Sic etiam definiit Concilium Tridentinum, sess. XIV. cap. IX. non modo nos satisfacere pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis. Quisque igitur læto animo hujus mundi tribulationes velut pluviam accipiat, et cum Davide dicat: *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo*, Psal. CXV.

III. Ut humilientur, et compescantur a ferocia et nimia peccandi libidine, adeoque ex lupis oves fiant. Leo, sævum et indocile animal, difficile

cicuratur: at igne edomatur, et in caveam a retia compingitur, quin et jugum ferre docetur, Plinius, lib. VIII. cap. XVI. Idem indomito peccatori præstat tribulatio: prosternit eum ad pedes Domini, et jugum ejus subire docet, teste Jeremia, Thren. I. *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudit me, expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum*. Fuit hujusmodi leo et helluo substantiæ suæ prodigus ille filius, qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*, Luc. XV. sed en tibi ignem: *Facta est fames valida in regione illa, et ipse cepit egere*. Ecce fames revocat, quem saturitas exularat, ait S. Chrysologus, serm. II. Unde bene dicere poterat, quod Israelitæ in captivitate dixerunt: *Castigasti me Domine et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus*, Jerem. XXXI. quasi diceret: Vitulus fui indomitus, vagus et errabundus: fustibus ergo et verberibus tuis reductus sum ad stabulum et subeundum jugum. Fuit sane talis aliquando Jonas, qui jugo mandati divini excusso, fugit a facie Domini. Ergo in mare dejicitur, et devorandus pisci traditur, a quo in litus evomitus, iterum in Niniven ad priorem expeditionem mittitur. Miraberis fortasse, cur negotium tanti momenti, quod adeo Deo cordi erat, committatur servo fugitivo. Verum Jonas sic castigatus, jam alius a se factus erat, et servus fidelissimus atque obedientissimus. Tantum valuit tribulatio. Fuit etiam, si quis alius, indomitus hujusmodi vitulus rex Abenner, qui, ut Josaphatum filium a christiana religione averteret, nihil non tentavit; nam et omnem ei aditum piorum virorum interclusit, et tristium rerum aspectum removit, et Christianos persecutus est ac monachos exussit: tandem ubi nil profecit, regnum cum filio divisit. Quo facto ubi res filii prosperari, suas vero pessumdari et plane velut fumum evanescere vidit; tum demum manus dedit, et posita ferocia, suave Christi jugum ejusque fidem amplexus est, summa filii et subditorum omnium consolatione, uti refert S. Damascenus, in vita Josaphat. Quid, quod ipsi demones videntur per flagella fuisse edomiti? Cum enim juxta multorum theologorum sententiam, ideo se rebelles Deo exhibuerint, quod nolent se submittere Dei Filio, futuro aliquando homini; postea ubi præsentem jam Christo, præsentia ejus torti sunt, se ipsi sponte submiserunt, et in obsessis hominibus genua curvarunt, ipsum adorantes et clamantes: *Obsecro te ne me torqueas*, Luc. VIII. et: *Venisti huc ante tempus torquere nos*, Matth. VIII. Non possit igitur tribulatio coercere homines, quæ potuit ipsos demones?

IV. Ut per illorum flagella alii emendentur, exemplo eorum territi, et ad Deum convertantur.

Solent medici venas brachiorum secare, ut medeantur aliis membris, v. g. capiti aut stomacho. (Unde S. Bernardus, serm. III. de circumcis. « Dolet caput, inquit, et in brachio fit sectura: dolent pedes, et fit in tibia. » Similiter: « Lippitudinis levandæ gratia (ait Plutarchus, libro de sera numinis vindicta) vena secatur. Magistratus uno puerorum cæso, reliquos officii monet, et decimatione facta imperator totum exercitum plectit. » Sic Deus se nobiscum gerit: unum castigat, ut alios emendet et ad officium reducat. « Zisca Bohemus, qui cæsus Thaboritarum ductavit exercitum, villam quamdam cum in Austria diripisset, neque invenisset armenta (nam illa in insulam Danubio cinctam transvecta fuerant); conquisitis a proximis villis duobus vitulis totidemque suibus, eos e regione insulæ tamdiu verberari jussit, donec mugitum et grunnitum vaccæ suæque exaudientes, ad ripam suam tranarunt; quibus interceptis, prædam non modicam abduxit, atque ita docuit ingenio non minus quam viribus res militares geri. » Ita Æn. Sylvius, lib. II. comment. in Panorm. cap. XXXIX. Astus hic hominis quidem hæretici, ex ratione tamen depromptus fuit; nec multum ablusit a sapientia Dei, qui ut alios peccatores, porcorum vitam agentes, e suis voluptatum et concupiscentiarum pascuis abocet, atque ad suum obsequium pertrahat, vocet unum aliquem ex illis cruciat et affligit, laqueo, gladio, igni, rotæ, furcæ per magistratum adjudicat, vel aliter castigat: cujus calamitate et lamentatione percepta, reliqui ad pœnitentiam festinent. Audiamus S. Chrysostomum in Psalm. IX. *Dei, providentiæ est, quod non facit hoc (puniendo scilicet improbos) latenter, ut aliorum calamitatibus alii reddantur meliores. Significat ergo manifestum exitium; quando scilicet illo psalmo ait David: Perit memoria eorum cum sonitu*. Perierunt hoc modo ex divina providentia illi Galilæi, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum, Luc. XIII. quos videlicet in monte Garizim, sito in Samaria, dum ibidem sacrificarent, Pilatus occidit, ita ut sanguis eorum cum sanguine victimarum, quas offerebant, misceretur. Qua calamitate consternati Judæi, multos de ea sermones habuerunt, dictantibus plerisque, illos sceleratos præ cæteri, et Deo invisos fuisse. Quod cum etiam Christo retulissent, ipse hoc exemplo omnes quoque alios ad pœnitentiam extimulabat, dicens: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut et illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Silæ et occidit eos, putatis quia et ipsi debitores fuerint, præter omnes homines habi-*

*tantes in Jerusalem? Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Hæc, si causas secundas spectemus, fortuito contigisse videntur: at si primam causam, Deum, attendamus, facta sunt in paucis peccatoribus ad correctionem aliorum. Sicut Ischiacis Marci, inquit Plutarchus, in moral. pollicem inurunt, ut cum alibi dolerent alibi adhibeant remedium; sic Deus nonnunquam, ut patres sanet, sævit in filios.*

V. Ut subinde saltem pro merito in hac vita etiam puniantur, ne putent nullam esse Deo de ipsis curam aut scientiam; tametsi inde forsitan non emendentur. Duplex enim est flagellum Dei: alterum collectivum, quo peccator emendatur, alterum punitivum quo quidem non emendatur, sed pro meritis tantum plectitur, licet Deus, quantum ex parte ipsius est, semper intendat emendationem peccatoris; quam quia in quibusdam prævidet non secaturam, flagellat eum in quibusdam prævidet non secaturam, flagellat eum in pœnam, quæ jam in hac vita incipiat et in altera continuatur. Hæc sunt duæ illæ virgæ, de quibus Zachar. XI. ait Dominus: *Assumpsit mihi duas virgas: unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum, et pavi gregem*. Virga Decor est regimen amoris, et virga correctionis, qua emendatur homo: virga Funiculus est regimen terroris et virga vindictæ, qua plectatur homo, qui priore virga noluit emendari. Virga Decor in virga Aaronis, quæ in flores germinavit, Num. XVII. virga Funiculus in virga Moysis, quæ in serpentem animata est, exprimitur; de qua S. Gregor. lib. XIX. moral. cap. XVII. scribit: « Per prophetam (Jerem. XXX.) Dominus dicit: Plaga inimici percussit te, castigatione crudeli. Qui ergo percussit, ut vires illius a percussione superentur, non hunc Dominus quasi filium per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. » Ferit hoc modo Antiochum regem, II. Macchab. IX. *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius et fetore exercitus gravaretur, etc.* Regem impiorum Joramum, II. Par. XXI. *Alvi dolore insanabili, etc. ita ut egeret etiam viscera sua*. Denique, ipsum etiam Herodem, qui infantes occidit; nam post quinque dies ab infanticidio (uti computat Corn. a Lapid. Matth. II.) febri, tussi, dysenteria, hydrope, podagra, phthiriasi (morbo pediculari,) putredine verendorum, asthmate et fetore intolerabili percussus, adeo ut seipsum cultello occidere conatus sit, animam truculentem expuit, Euseb. lib. I. hist. cap. VIII. Joseph. lib. XVII. antiq. c. VIII. et seq.

Ad extremum referri possunt huc flagella illa communia, quibus integræ sæpe regiones aut civitates propter gravia peccata a Deo flagellan-

tur; quod ipse dæmon (qui se Wiggonem vocabat) exposuit in puella obsessa, oriunda ex pago Hecgestadt, Latina lingua perorans, uti refert Eginhardus cancellarius Caroli M. postea monachus Benedictinus et abbas Selingstadiensis, in cap. XIII. lib. III. de translatione sanctorum martyrum Petri et Marcellini, 2. junii, apud Sur. coram reliquiis et in templorum martyrum, his verbis: « Cum presbyter miraretur atque interrogaret, unde illi Latine linguae notitia, cum parentes ejus, qui ibi praesentes astabant, hujusmodi sermonem penitus ignorarent: Parentes, inquit, meos nunquam vidisti. Tum presbyter: Tu ergo, inquit, unde es, si isti non sunt parentes tui? Et dæmon per puellam: Ego, ait, sum satelles atque discipulus Satanæ, et multo jam tempore apud inferos janitor fui: sed modo per annos aliquot cum sociis meis undecim regnum Francorum vastavi, frumentum et vinum et omnes alias fruges, quæ ad usum hominum de terra nascuntur, juxta quod jussi eramus, enecando delevimus, pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus: omnes quoque adversitates et cuncta mala, quæ jamdiu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atque ingredientibus eis acciderunt. Hic cum ab eo presbyter quaereret, quam de causa ei fuisset hujusmodi concessa potestas: Propter malitiam, inquit, populi hujus, et multimodas iniquitates eorum, qui super eum constituti sunt; qui munera et non justitiam diligunt, qui plus hominem, quam Deum metuunt, qui pauperes opprimunt, viduas et pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli justitiam nisi mercanti faciunt. Preter hæc sunt alia multa et innumerabilia pene, quæ tam ab ipso populo, quam a rectoribus ejus quotidie committuntur, ut sunt perjuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ; quæ nemo fieri prohibet, et cum facta fuerint, non est qui vindicet. Potentiores quippe turpibus lucris inseruiunt, et loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam et inanem gloriam abutuntur: odium et invidiam non tam inter extraneos, quam inter propinquos et affinitate conjunctos exercent: amicus amico non credit, frater fratrem odit, pater filium non diligit. Rari sunt qui fideliter ac devote decimas dent, rariores qui eleemosynas faciant. Et hoc ideo quia quidquid Deo vel pauperibus dare jubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras et injusta pondera contra Dei præceptum habere non verentur: fraude se alterutrum circumveniunt, falsa testimonia dicere non erubescunt: dies dominicos ac feriatos non custodiunt: sed in his, ac si in cæteris, prout voluntas eorum tu-

lerit, operantur. Propter hæc et alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus ut facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis ejus inobediens factus est, permissi, imo jussi, sumus ea facere in rebus humanis, quæ superius enumeravi, ut perfidiæ suæ poenas luant. Sunt enim perfidi atque mendaces, cum hoc servare non curent, quod in baptismo promiserunt. » Huc usque cum perorasset dæmon, tandem vi ss. martyrum coactus, projecit puellam in pavementum: quæ non paulum sana surrexit, nihil vero amplius Latine loqui potuit; ut palam esset, non eam per se, sed dæmonem per os ejus fuisse locutum. Subdit deinde Eginhardus: *Heu pro dolor, ad quantas miseras tempora nostra sunt devoluta, in quibus non boni homines, sed mali dæmones doctores sunt! Et incoctores vitiorum ac persuasores criminum, de nostra nos correctione commonent!*

## CONCIO III.

QUATUOR DRACONES INSATIABILES: IRA, LUXURIA, GULA, AVARITIA.

Quatuor insatiabiles dracones. — I. Infernus, seu avaritia. — II. Vas mulieris, seu luxuria. — III. Terra, seu gula et ebriositas. — IV. Ignis, iracundia seu vindicta.

## THEMA.

*Herodes, videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde, et occidit omnes pueros. Matth. II.*

Mali et infausti ominis est nomen Herodis, draconem enim ignitum significat lingua Syriaca; ex ierud, quod est draco, et et, quod est ignis, ut exponit Arias Montanus in apparatu. Profecto pessimi hominis pessimum vocabulum. Quis enim non abhorret vel ab ipso draconis aspectu? Dicuntur esse aut certe fuisse dracones, qui armenta boum cum pastoribus vi spiritus ad se attraherent atque sorberent, uti ille, quem S. Hilarion exussisse fertur a S. Hieron. in vita ejus: alii ignes evomere, apud Lessæum in sua Scotia, anno 1358. Et talis sane Herodes erat, qui furem velut ignem spirans, maximum parvulorum absorbit gregem. Quocirca ad ipsam alludens Joannes, Apocalyp. XIV. ait: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Insidiatus est certe Filio Deiparæ, sed spe sua fraudatus, ejus loco absorbit gregem parvulorum. Cæterum draco iste male jamdudum periit: reliquit tamen semen aliquod, sui non absimiles dracunculos; quos hic in lucem producere, et si fieri potest, extinguere conabimur.

Salomon, Prov. XXX. quatuor esse dicit quæ nunquam satiantur, ac proinde jure merito dracones appellari possunt, quia et ipsi voracissimi et insatiabiles sunt. *Tria sunt insaturabilia, inquit, et quartum, quod nunquam dici sufficit: Infernus, et os vulvæ (libido inquam) et terra, quæ non satiatur aqua: ignis vero nunquam dicit, sufficit!* Quatuor hæc quasi totidem dracones sunt insaturabiles. Infernus avaritiam insinuat, vas mulieris luxuriam, terra gulam et ebrietatem, ignis iracundiam.

I. Infernus avaritiam non male depingit. « Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit satis est: sic etsi omnes thesauri confluerent in avarum, nunquam satiabitur, » inquit Divus August. in lib. de salut. doc. c. XXX. et S. Basilius, orat. XV. de avaritia: « Ut Pluto infernus nunquam dicit satis sibi esse, sic nec avarus illam vocem ullo tempore protulit, sufficit. » S. vero Chrysost. hom. XXIX. in Matth. « Avarus in omnes, ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hostis, quippe nullum hominem esse vellet, ut omnia possideret: » et Sanctus August. sermone XV. de diversis, cap. XV. « Quomodo sunt divitiæ, quibus crescentibus, crescit inopia? Quæ amatoribus suis quanto fuerunt ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Nam vidimus quosdam, cum haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos: sed postquam cepit eis abundare verum quidem corpus auri et argenti, sed tamen falsæ divitiæ, cum parva obtuleris, jam recusant: credis jam esse eos satiatos; sed falsum est. Nam major pecunia avaritiæ fauces non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit: poculum respuunt, quia fluvium sitiunt. » Sic ille. Exemplum habemus in Achab rege, qui non contentus suis opibus et vineis, etiam vineam pauperis Naboth, sibi vicinam appetiit, et adeo quidem, ut, ea negata, projecit se in lectulum et averterit faciem suam ad parietem, nec comederit panem, III. Reg. XXI. sic nimirum: « Lugent divites, ait Sanctus Ambrosius, lib. de Naboth, cap. IV. si non potuerint aliena diripere. Dormire desiderant, velant faciem, ne quidquam in orbe terrarum alienum videant etc. » Bene appellantur dracones magni, qui boves et armenta devorant, ut dixi: nihilo meliores videntur esse avari qui non quiescunt, donec vicinos suos absorbeant, si possunt.

Deinde, sicut in inferno non nisi cruciatus et tormenta sunt, ita et in avaritia. Cruciantur enim avari dum aspiciunt alienas opes, suis præsertim majores: cruciantur, dum suas vel ipsi coguntur impendere et absumere, vel ab aliis etiam domes-

tis suis absumi vident. Notum puto quod refert Æneas Sylvius, in hist. Bohem. c. XXXV. de Albico, avarissimo homine, qui ex medico episcopus Pragensis factus, dixit: *Nullum sibi strepitum esse molestiorem, quam maxillarum ossa frangentium.* Ergo sicut apud inferos est stridor dentium, ita et apud avaros, qui stridorem dentium, in mensis suis comedentium, iniquissimo animo et cum dolore ferunt. Ad stridorem dentium accedit fletus et lamentatio, quibus urgentur avari, cum sua per infortunium perdunt, vel per mortem deserere coguntur: vel sperata non acquirunt lucra, vel metuunt perdenda, juxta id poetæ: « Ploratur lacrymis amissa pecunia miris. » Fuit etate nostra (inquit Poggius Florent, in disceptatione de avaritia) avarus, qui in ipso mortis limine afferri jussit pelvim nummis aureis plenam, opem subsidiumque ab eis orans, quos tamdiu velut animam servasset, subinde murmurans: *Eheu! quibus vos relinquam?*

In inferno est clamor et ejulatus: itidem in avaritia, cum damna aliqua patitur. Ægrotabat quidam Euclio, nomine Anton. Urceus, et aræ nummarie clavem nocte clam subreptam e pulvinari animadvertit: inde in tantam animi angustiam incidit, ut duobus diebus continuis ante mortem, nihil fere aliud vociferaretur, quam ut serjñi clavem sibi darent, uti Barthol. Bernoniensis, in vita ejus habet. In inferno est vermis semper rodens: non secus in avaritia, quæ cum ab iniquis bonis vix unquam sit immunis, semper eis incubantem et rodentem vermem alit; qui sane Judam adeo torsit, ut ei opprimendo laqueum eligeret. Denique, rodit animum curis et anxietatibus, quibus sæpe somnum adimit. Unde Ecclesiastici XIV. dicitur: *Insatiabilis oculus cupiditatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Uti nimirum lychnus ardens attrahit oleum, et tandem suo se igne consumens extinguitur.

II. Vas generationis, seu ut habent Septuaginta *amor mulieris*, de quo S. Hieronymus contra Jovinian. ait: « Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, et post copiam rursus inops est, animumque virilem effeminat, et accepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare, nec ipse usu extinguitur, sed immoderatus ac vehementius inflammatur. » Est igitur libido instar draconis, qui cauda sua involvit et ligat, ligatumque prosternit, etiam elephantem, ut scribit Plinius, lib. VIII. cap. XIII. Isidorus et alii. Sic enim et luxuria prostravit fortissimum Samsonem, sanctissimum Davidem, sapientissimum Salomonem.